



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Mus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## DE MURE. CAP. XXX.

**M**urem associari sibi deposcit mustelæ nomen, cum præsertim in omni familiari suppellectile corrupenda, non minorem mus injuriam & detrimentum afferre soleat, quam mustela.

## DETRIMENTUM. CAP. XXXI.

**P**ræcipuum enim ejus est significatum, ut hieroglyphicum detrimenti sit atque perditionis: is siquidem, ut apud Ciceronem est, dies ac noctes aliquid semper rodit, ac omnia quæ rodit inquinat & inutilia reddit. Quare in ostentis quoque, si mures aliquid corrosissent, perniciose portendi aiebant iis, quorum instrumentum aut opus esset, quod ita corruptum erat, veluti ante Marficum bellum, quod clypeos Lanuvii abrosissent, maximum id portentum aruspices dixerunt, & eorum quæ subsecuta sunt incommodorum indicium. Jam & Carboni Imperatori mures exitium abrosis factiis, quibus in calceatu utebatur, portendere. Sed false risit hæc Cato, cum eum quidam consulere, quid ostenti esset, quod forices noctu caligas abrosissent: respondit enim is, non esse ostentum si forices caligas abrodant, sed si caligæ forices ipsos abrosissent. Sed enim Cicero, quamvis id & ipse ridere videatur, cum jam Respublica titubare cœpisset, Platonis politiam corrosam turpiter à muribus apud se deprehendit. Et si parva licet conferre cum magnis, nos quoque portenta hæc tetigere. Nam quamprimum Romam applicui, sedemque ibi fixi, ne miserimas incensa, devastata, ac pene diruta patris calamitates, fixissimasque clades ante oculos in dies mihi atrociores spectando fieri sentirem, mihi accidit ut pulcherrimum Horatii opusculum, quod in deliciis habebam, mures à liciis, quibus conglutinatus erat, protinus aboderent, omnibusque paginis ita dilcissimam inutilem codicem efficerent: mox & Pindarum aggressi, eum quoque ab eadem parte qua plicatus conglutinatusque erat, inquinaverunt, quod ostenti loco fuisse, eventus postea comprobavit, non esse tunc Romæ locum Musis, & amenioribus his disciplinis: idque magna & studiorum meorum & diurni temporis jactura compertum habui, donec vicesimo post anno, ex quo huc migraveram, Hippolyti Medici discipuli mei liberalitate atque beneficentia, fui tandem sublevatus, usu rerum ad vitæ necessitatem, quod satis esse duxi, suffecturo.

## OPTIO. CAP. XXXII.

**E**odem utebantur hieroglyphico Sacerdotes Ægyptii, si optionem atque judicium significare voluissent. Mus quippe plures diversosque panes aut poma nactus, purissimum optimumque ex omnibus quo vescatur, deligit. Quapropter in panificiis emundis, optionem ex hujusmodi murum indicio facere solitum est multis. Idem in fructibus aliis, præsertimque melopeponibus, summa nepotum curiositate observari videmus: cum eos meliores esse constet, quos mures cœperint abrodere, Plinius ubi de Ponticis muribus loquitur, mirari videtur, quoniam modo authores intellexerint eorum palatum in gustu sagacissimum esse.

## IMBECILLITAS. CAP. XXXIII.

**S**unt qui per murem exanimatum, imbecillitatem intelligi posse tradant: is siquidem minimo quoque incommodo exanimascit: plerumque vero sponte moritur effluentibus intestinis, hinc *ἡ μὲν ἐκ τῆς βρωμῆς* dici solet, qua similitudine Menander usus est, ut citat Ælianus lib. 3. cap. 10. cum valetudinarius quispiam ipsa fuerit naturæ imbecillitate consumptus. Muribus enim in universum vita brevissima, unde musculus apud Horatium alteri ait: *Vive memor quam sis ævi brevis*. Sunt qui putent foricem ea de causa dictum, quia *σφοδρὸν* apud Græcos putridum significet, quod huic qua de loquimur imbecillitati congrueret. Sedenim multo magis placet eorū sententia, qui quemadmodum suam *ἡ ἐξ ὄρεος* à nobis factum constat, ita *ἡ ἐξ ὄρεος* foricem deductum asseverant. Nicander sane *ὄρεος* mures appellavit Æolum lingue, apud quos *ὄρεος*, hoc est, sus, *ὄρεος* dicitur. Murem vero, quod rostrum habeat suilli perquam simile, Suis etiam cognomento dicunt, quod interpret Nicandri observa-